



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Hilaritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** delicatissimæ dedicata, unde meruerit Pelops Hippodamiae nuptiis potiri certaminis victor auxilio Veneris, quod ei simulacrum ex pullulante Myrto fecisset.

## VENUS. CAP. XXV.

**N**am qui Venerem pingunt, libenter illi myrteam coronam imponunt, qua coronatam eam in iudicio Paridis astitisse, Nicander ait Alexipharmacis, atque ea de causa huiusmodi arbusculam & Junoni & Palladi odio habitam in posterum. Apud quem animadvertas, Dictynnam Palladem appellari, quamvis glossemata quædam aliter exponant. Neque vero dissimulandum, Myrtum Pollux l. r. pudendi muliebris habere significatum, unde apud Aristophanem legas, *ὅδ' ἐστὶν ἄνευ τῆς Ἥρας ἐὼντις*, Nempe à bacca myr- si similitudine. *πρὸς τὴν ἐξ ἐνὸς λόγῳ ἀνοιδᾶς πρὸς τὸν ἄλλο*, quod ita reddemus: *Neque rem aggredi veram, priusquam Graciam federe junxerimus.* Sed Myrtum Pollux carunculam intra pudendum muliebre ponit lascivo quodam motu interim subsultantem: quo forsitan spectat Aristophanicus ille Hecates fabula. *Ensem posthac gestabo in Myrti ramo.* In Commentario Serpentiis Hecates fabulam recitavimus, quam multis modis Faunus pater sollicitaverit ad stuprum, cum eam paternæ petulantia reluctanter modo virga myrtea verberaret, modo vini tormentum adhiberet, mox in Anguem conversus spiris totam implicaverit, atque voti compos evaserit. Ibi que virgam myrteam, nequitia imaginationem, vinum mentis hilaritatem, anguem multiplices voluptatis nodos hieroglyphicè significare ostendimus. Nam quod ad Myrtum attinet, En lib. 6 apud Maronem:

*Quos durus amor crudeli tabe peredit,  
Secreti celant calles, & myrtea circum  
Sylva tegit.*

## OVATIO. CAP. XXVI.

**M**yrtea vero corona triumphantium militum capiti gestata, rem bellicam sine sanguine confectam significabat: vel cum quid bello non indico per occasionem captum fuerat: tunc enim ovatio decernebatur, non triumphus, atque ita myrtea utebantur corona, facilitatis indicio, cum in triumpho ob victoriam cum labore partam laurea gestari solita esset, de qua superius.

## HILARITAS. CAP. XXVII.

**E**rat & hilaritatis indicium ramus Myrti, quem veteres inter vina alter alteri porrigebant. Mos enim fuit in conviviis eo circulato ramo unumquemque discumbentium ad cantandum excitare. Singuli enim convivarum accepto in manus Myrti ramo, partes canebant suas: quem morem in Symposi. l. r. Symposiacis Plutarchus late disputavit. Et Horatius adveniente verno tempore, quo se undecumque patefacit hilaritas, dum Cytherea choros ducit Venus, decere ait viridi nitidum caput impedire myrto. Atque ubicumque conviviorum latitiam celebrat, coronas è myrto inferri jubet. binc canes e ad myrtum. Paramiog. Ch. 2. cent. 6. pro. 21. Æneid. l. 3.

## ARMA BELLICA. CAP. XXVIII.

**I**n prodigio autem, quod ad Polydori tumulum Æneæ sese obtulit, corneis virgultis, & Myrti densis hastilibus, ad evulsionem sanguinem stillantibus, Tib. Claud. Donatus per id genus virgulta, hostilem illic esse locum significari dicit: quippe quod duo ea genera lignorum hastilibus bellicis apta sint proindeque pacis auspicium nullum illic esse potuisse. Ac per hoc sacrificanti in novæ civitatis causa, portendi, id quod accidit, crudele illic hominum genus, & humano infestum sanguini. Sed enim crediderim ego potius Maronem nostrum locum hunc de sepulchrali myrto mutuatum ab Elpenoris tumulo: quandoquidem Theophrastus ait ad Circeum in Italia locum esse eminenti quodam situ, densissimo variarum arborum nemore, sed arborosis præcipuè myrtis densum, ubi parvus visitur locus, quem incolæ Elpenoris tumulum perhiberent. In eo, qui supini hominis mensuram non excederet, myrtos coronarias nasci, minutis quippe foliis, & odoratoribus quam latifoliæ sint, neque alibi toto tractu eas quam, angusto eo spatio reperiri. Sane Myrtus corona quoque funebris est, de qua Pindarus in Isthumii, ut in Cupresso diximus:

*ὅδ' ἐστὶν*